



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.






600045373S



10113 1. 20





106

10071

Indian Institute, Oxford.

THE MALAN LIBRARY

PRESENTED

BY THE REV. S. C. MALAN, D.D.,

VICAR OF BROADWINDSOR,

January, 1885.

EPISTOLA GRATULATORIA
ORDINIS THEOLOGICI HALENSIS

A D

S. R. KNAPPIUM

DOCTOREM ACAD. JUBILARIUM.

SUBJECTUM EST
SPECIMEN EXERCITATIONUM CRITICARUM

IN

SAPIENTIAM SALOMONIS

AUCTORE

J. C. THILO

PROF. THEOL.



H A L I S
A P U D F R I D E R I C U M R U F F.
M D C C C X X V.



V I R O
S U M M E R E V E R E N D O
G E O R G I O C H R I S T I A N O
K N A P P I O

THEOLOGIAE DOCTORI ET PROFESSORI P. O.
SEMINARII REGII THEOLOGICI ORPHANOTROPHEI ET PAEDAGOGH
REGH DIRECTORI REGIS BORUSSORUM IN SENATU SACRO A CONSILII
ACADEMIAE SENIORI ORDINIS AQUILAE RUBRAE EQUITI SOCIETATIBUS
DE RE SACRA PRAECLARE MERENTIBUS LONDINENSI HOLMIENSI
TUBINGENSI ADSRIPTO

SEMISAECULARIA ACADEMICI MUNERIS

SOLEMNIA

DIE I. MAII A. MDCCCXXV.

FELICITER CELEBRANTI

GRATULATUR

T H E O L O G O R U M O R D O
ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE HALENSIS ET VITEBERGENSIS
CONSOCIATAE.

SUBIECTUM EST

SPECIMEN EXERCITATIONUM CRITICARUM IN
SAPIENTIAM SALOMONIS.

H A L I S S A X O N U M .



In maxima felicitatis humanae parte ab optimis viris expetitur senectus, a vitae muneribus et officiis non avocata, et qualem Cyrus apud Xenophontem praedicat suam, haud imbecillior facta senectute. Neque hoc mirum. Nam qui totos se dederunt rebus sive cognoscendis, sive gerendis, neque quidquam noverunt praestantius et iucundius bene merendo de genere humano, ii deprecantur ingratum otium et abhorrent a languida inertia. Sed paucioribus modo id contingit, ut dum senescit aetas, et vita ad eum, qui mortalitatis fere extremus est, terminum decurrit, animus viresque iuvenilem retineant vigorem et alacritatem. Iustissima igitur est summi gaudii nostri causa, quod Tibi, Venerande Collega, hodierno die haec semisaecularia solemnia talemque gratulari licet *εὐτυχίαν*, singulari divino beneficio concessam. Etenim non vivendo tantum attigisti tempus, quo ante hos quinquaginta annos summos in philosophia honores adeptus et munus doctoris Academici auspiciatus es, sed ita vivendo et valendo, ut a nulla dum officii parte discesseris, et locum, quem

per tot annos tanta cum laude tenuisti, strenue etiamnum tuearis. F
ram vero hanc felicitatem, qua Te ornatum iam suspicimus, profecto
quod dubitemus, an Tibi magis, quam nobismet ipsis, Academiae n
strae, communibus litteris et universae patriae gratulari debeamus. Ta
ta est vis virtutum Tuarum, tantus laudum splendor, tanta meritoru
magnitudo.

Et nos quidem, qui arctiori quodam collegii vinculo Tecum vivim
coniuncti, et Te veneramur Ordinis nostri Seniore, num vel anim
effingere possumus, cuius virtutes praeoptemus Tuis? Amant omnes
reverentur humanitatem Tuam, integritatem animi et simplicitatem, qu
rum ipse vultus Tuus index est certissimus. Nobis autem etiam carior
ctus es propriis quibusdam virtutibus, quibus facilis et gratus reddi
convictus, et quibus praecipue collega bonus censetur. Quam enim le
es ac mansuetus! Quam alienus a suspicionibus et simultatibus, ab
vidia et obtreptione! Quam pacis amans et placabilis! Si quis alius,
persuasus es, sine tranquillitate animi et vitae nos neque discere posse
que docere, ut par est. In consulendo et agendo non spectas person
omnium minime Te ipsum, sed rem et veritatem, sed commune bonu
Intemerata fide, prudenti circumspectione et exactissima diligentia res C
dinis nostri procuras et tueris. Summa est Tua adversus omnes studiaq
omnium aequitas, et penitus odisti illiberalem hominum nimis sibi p
centium vanitatem, qui quam ipsi doctrinae partem amplexi sunt, ea
unam extollunt, et reliquas paene contemnunt. Et quanti hac praesert
tempestate facienda est amabilis Tua modestia, quae ut ab omni arrog
tia et ostentatione, ita maxime ab ambitiosa eorum importunitate a

horret, qui omnes idem secum statuere volunt, vix ullum ferentes in opinionibus et consiliis dissensum! Nempe non tantum probe edoctus es, ex sapientissimo divini numinis instituto diversa esse hominum ingenia, diversas voluntates, et in hac imbecillitate humana verum et rectum prope abesse ab errore et vitio, sed etiam, quod humanae cupiditati maxime adversatur, Te ipsum deputas unum e multis, quamvis iudicaris ab omnibus et es unus ex paucis et electissimis. Talem ergo Collegam, tam praeclaris animi virtutumque dotibus instructum, nobis non gratulabimur? Non laetabimur integra talis senis valetudine, et ea, quam haec facit, spe seri ad coelum reditus?

Sed latius patent, quam illae quasi privatae virtutes, clariusque exsplendescunt publicae Tuae laudes, egregia Tua de litteris, de Academia hac universaque patria merita. Nam cum nihil habeatur neque ad publicam utilitatem fructuosius, neque ad laudem honorificentius, quam homines voce scriptisque erudire, magna Tu frueris eaque meritissima nominis fama, qui praestantissimis ingenii doctrinaeque operibus litteras sacras ornavisti, et scholis tanta assiduitate habitis, tanta celebritate frequentatis innumerorum iuvenum animos ad rerum divinarum cognitionem et pietatis studium informavisti. Adeo utrasque, quibus professorii muneris dignitas praecipue cernitur, partes aequabiliter implevisti, ut difficile iudicetur dictu, utris plus profueris, Tuamque et Academiae gloriam magis illustraveris. Ac scriptis quidem, quis est qui nesciat, quam praeclare de crisi et interpretatione Scripturae sacrae promeritus sis? De ea igitur doctrinae theologicae parte, quam principes omnium temporum theologi summam ac difficillimam esse pronuntiaverunt, et ex qua pri-

mam sibi petierunt laudem. Quibus ipsa Iesu Christi et Apostolorum
 ba legere et intelligere curae cordique est, eorum omnium manibus
 satur Novum Testamentum opera Tua recognitum, ii omnes assi
 utuntur illis commentationibus Tuis, quarum quot sunt, tot habent
 legitimaе sacrōrum librorum interpretationis exempla. Agnoscunt in
 qui criticae atque hermeneuticae artis peritia excellunt, nativum ingenii
 acumen, et integram iudicandi vim; admirantur accuratam linguarum
 terum cum Orientalium, tum Graecae et Latinae scientiam, et copiosam
 rerum, opinionum, morum aevi potissimum Apostolici memoriam; et
 laudant severum nihil alieni, nihil longius arcessiti admittentem delectationem
 et illam ubivis conspicuam ἀκριβειαν, qua potissimum insigniuntur scrip
 res, qui nihil, nisi quod omnibus numeris expletum sit, a se exire
 lunt. Latinarum elegantiarum arbitri et qui eruditaе antiquitatis sensum
 et quasi gustum habent, admodum delectantur orationis Tuae puritate
 perspicuitate, facilitate et suavitate, ac mirificam voluptatem capiunt
 crebra illa et commodissime a Te instituta scriptorum profanorum cum
 sacris comparatione. Quid vero proprii nominis theologi? Praedicantem
 Te dignissimum Spenerianae et Franckianae disciplinae πατροπαράδοτου alu
 num, hoc est, theologum, qualem Lutheri, Melanchthones, Zwinglii
 voluerunt, in Scripturis natum, solido divinae sapientiae nutrimento edu
 catum, πληροφωρία πίστεως roboratum et constantem, qui, quidquid habet
 ingenii et doctrinae, in sanctissimo religionis nostrae sacrario de
 cavit, et omnia, quae discit et docet, ad pietatis studium et ipse referri
 et ab aliis referri vult. Talem igitur scriptis Te praestitisti theologum,
 litteris et ecclesia merentissimum. Neque profecto minus iisdem profui
 scholis, quas ab ipso muneris Academici initio usque ad hunc diem

defesso studio et maximo cum plausu auditorum habuisti. Videmus ferventibus iuventutis studiis stipatam hanc Tuam senectutem. Audimus quotidie, quanta veneratione, qui ab ore Tuo pendent, sapientiam Tuam senilem prosequantur. Quot autem sunt nunc vel in gymnasiis et academiis vel pro concione docentes, qui grata memoria tantum Tibi, quantum nemini, se debere profitentur! Illi omnes recordantur laeti miram Tuam in docendo animi alacritatem, fronte et vultu hilari suaviter se prodentem; libentes id multoque sermone celebrant, Tuo exemplo se didicisse, quid sit dicere et docere *μετὰ παρρησίας*; summis laudibus ornant doctrinae Tuae lucem, monitorum gravitatem, praeceptorum veritatem. Quod vero summum est, multi Tua disciplina id in se effectum esse sentiunt et fatentur, ut se ipsos noscerent, Christum quaerent, et Christum lucrarentur. Quo animo hos putabimus de tali doctore sibi gratulari? Quo animo nos de tali doctore ad hunc diem servato gratulabimur Academiae, reipublicae, ecclesiae? Enimvero, ut I. A. Ernesti verbis utamur, incredibile dictu est, quanta et quam praeclara res, quam amabilis, quam publice utilis sit Theologus, cuius non modo cathedra, sed tota vita quandam Christi disciplinam habeat, cuius non vox magis quam facta Christum loquantur, in quo denique sit et doctrinae et vitae *ἀκρίβεια* et *εὐλικρίνεια*.

Sed iam redeat ad propositum oratio nostra. Attigimus laudes Tuas, de quibus non fuit in animo dicere. Voluimus, qui carissima necessitudine Tecum iuncti sumus, sensum pietatis et laetitiae publice declarare; voluimus gratulantium vota, quae hodie pro salute Tua et incolumitate,

nuncupantur, nostris augeri singularibus. Faxit igitur Deus ter Opti-
Maximus, ad quem supplices manus tendimus, ut lectissimis merito
praemiis et hoc praecipue solemnitatis gaudio, quo Te ornatum vo-
diu fruare. Conservet Tibi vegetam ac felicem, qua Te adhuc be-
senectutem, vitamque concedat longissimam, curis liberam, bonis
mulatam. Orat nobiscum alium Patrem pro salute Tua iuventus sa-
studiis dedita, orant omnes, qui patriae et ecclesiae bene cupiunt.
laeti auguramur, eum, quem tam benignum experti sumus, ita r-
habere has pias preces, uti hanc Academiam purioris evangelicae do-
nae seminarium et bonae piaeque mentis officinam esse vult.

Iam his, quae pietas nobis dictavit, votis disputationis aliquid e more maiorum adiungamus. Placuit autem *specimen exercitationum criticarum in Sapientiam Salomonis*, librum canone dignum, exhibere. Continet is verissimum et elegantissimum ἐγκώμιον eius sapientiae, cui Te, Venerande Collega, per totam vitam studuisse scimus. Non igitur videbitur indignus, in quem hac occasione qualiscunque opera nostra conferatur. Utinam vero ea Tibi, munere Critici in libris Novi Testamenti recognoscendis tam praeclare functo, probari possit! Certe materies bene merendi de illo libro non deest. Constat enim inter omnes, qui sacris litteris operantur, rem criticam scriptorum, quae Versioni Alexandrinae Veteris Testamenti annexa sunt, in magna difficultate esse et parum adhuc curatam, neque dum subsidia eius rite curandae parata haberi omnia. Latent plerorumque origines et antiquissima textuum historia. Qui primis rerum Christianarum saeculis ipsam Versionem Alexandrinam recensuerunt, sive potius ad Hebraicum exemplar conformaverunt, Origenes, Lucianus, Hesychius alique, eorum studia non pertinuerunt ad illam appendicem. Medii aevi διασκευασται, auctores dicimus correctiorum biblicorum, id unum egerunt, ut vitia, quibus Biblia Latina obsita erant, expungerent. Ex quo autem Vet. Test. Graecum cum libris apocryphis coeptum est typis describi, quatuor deinceps prodierunt diversae horum aequae ut illius ἐκδόσεις, Complutensis, Aldina, Vaticana et Alexandrina; sed a nemine facta est legitima eorundem recensio, ut scriptoribus ecclesiasticis, versionibus

*

antiquis, et codicibus, qui in bibliothecis reservantur, diligenter co-
tis, variae textuum conformationes pro varietate provinciarum et tem-
rum serie cognoscerentur, et ex his antiquissima maximeque genuina, quae
tum fieri posset, restitueretur. Non ignoramus editionem critico appar-
instructissimam, quae in Anglia magnis sumtibus paratur. Sed quis d-
eam sic esse institutam, ut illis desideriis satisficiat? Reddit exem-
Vaticanum cum indigesta variarum lectionum mole. Et quam lente p-
greditur! Quod ad libros apocryphos attinet, seris demum nepotibus p-
derit. Sed ne, quae praestari nequeant, flagitare, et de laboribus v-
rum doctorum inique iudicare videamur, libenter fatemur, plures de
gulis apocryphis, velut *Ilgenium* de historia Tobiae et *Bretschneiderum*
sententiis Iesu Siracidae, bene meritos esse. Neque defuerunt, qui curam
ticam, etsi magis subsecivam, Sapientiae Salomonis libro impenderent. I-
respicimus ipsos Veteris Testamenti Graeci editores, *Ioannem Vergar-*
qui inter Complutenses Graecis librorum sapientialium exemplaribus ope-
dicavit*), *Lambertum Bosium*, *Grabium*, *Breitingerum* aliosque.
laudare volumus libri nostri interpretes, qui officium textus, quem ex-
carent, emendandi non prorsus neglexerunt, *Petrum Nannium*, *Badu-*
lum, *Grotium*, *Ioannem Lorinum*, *Cornelium a Lapide*, et anonymum
Halensem ex antiquioribus**); *Hasseium*, *Kleukerum*, *Wallenium*,

*) Refert hoc Alvarus Gomez in lib. II. de rebus gest. a Franc. Ximeno (in Sc-
Hispan. illustr. T. I. pag. 966.) iis verbis, ex quibus concludas, hunc virum erud-
singularem curam in istis libris, praecipue eo, qui Siracidae est, posuisse.

***) Rariora minusque nota *P. Nannii* scholia, quae Basileae 1552. 4. prodie-
nos Oxonii in Bibliotheca Bodleiana inspeximus, et eam mereri intelleximus
dem, qua a Paulo Colomesio Observat. sacr. pag. 106. ornantur. *Baduelli* et
alii adnotationes extant in Criticorum sacr. Vol. III. ed. Francof. Eruditus *L-*
commentarius evulgatus est Lugd. 1607. 4. Opus *Cornelii a Lapide* Antverp.
fol. Ab hoc laudatos reperies *Hieron. Osorium*, *Vatablum*, *Isidorum Clar-*
Cornelium Iansenium Gandavensem, *Christophorum de Castro*, *Gonsa-*
Cervantes, *Laurentium de Aponte* aliosque commentatores. Perquam utili-
Germanica libri Sapientiae interpretatio, quae cum notis criticis diligenter
ctis Halae e librariis Orphanotrophei 1705. et iterum 1739. prodit. Auct-
eius esse putamus Godofr. Arnoldum. Recentiorum, quos nominavimus,
satis noti sunt.

gelbrethium et *Heidenreichium* e recentioribus. Isti enim omnes disputaverunt de diversitate scripturae ex codicibus enotata, plures ex iis etiam versiones antiquas et scriptores ecclesiasticos consuluerunt, atque coniecturalis criticae specimina dederunt. Minime vero his virorum eruditorum studiis textum libri, quoad fieri posset, a vitiis purgatum et in integrum restitutum esse, docere quemvis potest accuratior eiusdem censura, et pluribus exemplis iam a nobis probabitur. Haec antequam enarramus, paucis necesse est dici de instrumentis apparatus critici, quibus utimur.

Ac primum quidem in manibus sunt collationes codicum novem Bibliothecae Reg. Paris. a nobis diligentissime ad exemplar Vaticanum factae. Accuratorem eorum descriptionem alias prout nunc satis habemus, numeros, quibus in Catalogis editis notantur, indicavisse. Septem autem priores in Catal. Codd. Manusc. Biblioth. Reg. Vol. II. numeris X, XVIII, XXXV, XXXVI, LVII, CLIV, CLXXII. recensentur. Duo reliqui sunt Bibliothecae Coislinianae, a *Bernardo de Montfaucon* quarto et decimo octavo loco descripti. His accedunt *Λέξεις τῆς Παναρέτου* ex cod. Coislin. CCCLXXXIV. a nobis enotatae, quarum criticum usum infra commendabimus. Eiusdem generis *λέξεις* etiam cod. Reg. XVIII. nobis praebeuit. Non differunt ab his, quas *Bielius* a Biblioth. Bodlei. acceptas in Lexico in LXX. Interpretes aliquot locis attulit. Ad usum vero codicum illorum, quorum plures antiquitate et scripturae praestantia insignes sunt, id tantum monemus, nullum cum editionibus supra memoratis prorsus consentire *).

Praeterea ex operibus patrum Graecorum, praecipue Clementis Alex., Origenis, Methodii, Eusebii, Athanasii, Gregoriorum Naz. et Nyss., Didymi, Ephraemi Syri, Epiphani, Ioannis Chrysostomi, Isidori Pelusiotae, Cyrilli Alex. et Theodoretii excerpta habemus, quae ad Sapientiae librum spectant, et ad textum eius emendandum adhiberi possunt. Laboris, quem his congerendis impendimus, nos non poenitet, etsi non tantum, quantum exspectabamus, profecimus. Prout enim scriptores ecclesiasticos, nisi in integros Scripturae sacrae libros commentarentur, vel graviores disputatio-

*) Nos ubi in sequentibus scripturas istorum codicum afferemus, eos litteris A. B. C. D. E. F. G. H. I. notabimus secundum seriem, qua supra positi sunt.

nes dogmaticas et polemicas ad eiusdem effata referrent, saepe a codicum fide discessisse constat; ita plurima deprehendimus memoriter et liberè citata, in quibus aperta essent memoriae fallacis vel arbitrii auctorum vestigia. Idem licuit observare in magna parte eorum, quae Sabaterius ex scriptis Latinorum patrum ad versionem antiquam Sapientiae Salomonis diligentissime contulit. Itaque aegre hoc ferimus, neminem vetustiorum utriusque ecclesiae doctorum librum nostrum vel maiorem eius partem commentario aut homiliis interpretatum esse, neque Bellatoris presbyteri, sex post Christum natum saeculo clari, octo libros in Sapientiam ad nostrum tempus pervenisse **).

Denique vix est quod dicamus, nobis praesto esse editiones optimas. Unam Complutensem desideramus, a Lamberto Bosio, ut viri docti notant

**). Memorantur isti libri primum a Cassiodoro de instit. divin. litter. cap.V. Tu Rhabanus Maurus, cuius tres exstant in Sapientiam libri Opp. Tom.III. pag.30 sqq. ed. Colon., in Prologo ad Othgarium Archiepiscopum his praemisso mentionem illorum, sed iam perditorum, fecit. *Cuius, inquit, voluminis (Sapientiae) expositionem presbyter Bellator octo libris se assumisise testatus est. De quo Pater Augustinus et Sanctus Ambrosius homiliarum nomine nonnulla dixerunt. Verum cur ego ad exponendum hunc librum laborem assumerim, haec causa fuit: quia nullam antea super totum librum expositionem inveni, licet praedictus presbyter Bellator octo libros in eo se fecisse, ut praedixi, commentaret, haec hactenus ad nos non pervenerunt.* Anonymi expositionem Latinam Ms. in librum Sapientiae a Lambecio Comment. de Biblioth. Vindob. lib. II. p.7 ed. pr. laudatam reperies. Nos ipsi Parisiis in Bibliotheca, quae est ad ecclesiam S. Genovefae, inspeximus codicem membr. sec. XIII. commentarios Latine scriptos in libros Salomonis quinque continentem. Versionis Vulgatae textus in medio erat scriptus, et in latere explicatio uberior praeter interlinearem. Opus Bellatoris in praefatione memoratum legimus, sed nulla ex eodem excerpta invenimus. Nihil prosunt neque critico neque interpreti studia I. Bonaventurae (*expositio in Sapientiam* Opp. Tom. I. ed. Rom.), Roberti Holkot (*Phoenix rediviva seu Postilla super librum Sap. Sal.* Colon. 1689.), Dionysii de Ryckel (*Enarrationes piae ac eruditae in quinque libros Sapientiales* Colon. 1533.), Petri Alliaco aliorumque, qui in librum nostrum commentati sunt. Aliquid forte emolumenti afferre possint scholia Matthaei Cantacuzeni, quae Cornelius a Lapide insignia dicit, et a Brunello Iesuita ex Graeco in Latinum conversa esse tradit. Sed nobis nondum contigit ea usurpare. Quae vero in cod. Paris. CLXXIII ex *μεταγλώττησις κατὰ λέξιν τῆς Σοφίας βασιλέως Σολομῶντος ἀπὸ Ἑλληνίδος εἰς κοινὴν γλῶτταν* ab imperito homine factam esse ipsi novimus.

non satis accurate collatam. Ex versionibus antiquis maiori usui, quam Syriaca et Arabica, critico est Latina, quippe antiquissima et ad verbum facta. Hieronymus ipse in ea se calamo temperavisse ait, idque argumentis confirmat Lud. Cappellus Opp. Posthum. pag. 563. Ceterum notamus Bedam, cuius in unum et alterum locum Sapientiae commentatio exstat, duplicis Latinae translationis meminisse. Aethiopica et altera Syriaca hexaplaris, quae Paulum, episcopum Tellae, auctorem habuit, etiamnum in Bibliothecis latent.

His igitur praemissis disquiramus de universa textus Graeci, quem codices exhibent, integritate. Videtur autem is aliquot locis mutilatus esse tempore, quod codicum aetatem superat. Aperiamus suspicionis nostrae causas. Sapientiae ab Epiphanio libris στιχηροῖς accensae in Nicephori στιχομητρία numerantur στίχοι MC., cum codex Alexandrinus, in quo cum libris metricis etiam noster στιχηρῶς scriptus est, tantum MXCVIII. habeat, si recte summam subduximus *). Et Alexandrinus quidem cap. III. vers. 9. uno eius generis commate auctus est, quod in Vaticano, Pariss. A. E. G. praestantissimis, et Vers. Lat. desideratur, et ab interpolatore additum videtur **); ut secundum hanc rationem tres στίχους excidisse

*) In Stichometria, quam Cotelerius suo de epistola Barnabae Iudicio apposuit, Sapientiae versus M. numerantur. Videtur ibi omissa littera C.

***) Locus in cod. Alex. sic legitur: Οἱ πεποιδότες ἐπ' αὐτῷ συνήσουσιν ἀλήθειαν, καὶ οἱ πιστοὶ ἐν ἀγάπῃ προσμενοῦσιν αὐτῷ. Ὅτι χάρις καὶ ἔλεος ἐν τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ, καὶ ἐπισκοπὴ ἐν τοῖς ὁσίοις αὐτοῦ. (Quod in Bibliis polygl. Waltoni, a Lamb. Bosio et Schleusnero s. v. θεῖος ex Alex. affertur θεῖος pro ὁσίοις, παρόρμα est jam notatum in Prolegg. ed. Grab. cap. II. §. 3.) Ab Alex. parum differunt Pariss. C. D. F. H. omittentes praepos. ἐν ante τοῖς ἐκλεκτοῖς, et Compl. Ald. cum Pariss. B. I. ὁσίοις loco priori, ἐκλεκτοῖς posteriori ponentes. Paris. A., qui praeter totum Sapientiae textum continet ejusdem fragmentum ad cap. IV. vers. 7. pertinens, ibi habet Ὅτι χάρις καὶ ἔλεος τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ, καὶ ἐπισκοπὴ ἐν τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ. Ex patribus Graecis Clemens Alex. Strom. lib. VI. pag. 797. ed. Potter. et Hesychius presbyter in Biblioth. PP. Graeco-Lat. Paris. Tom. I. pag. 1017. locum ita laudant, ut verba Ὅτι χάρις — αὐτοῦ prorsus taceant. Vaticanus autem et Paris. A. E. G. omittunt stichum extr. Καὶ ἐπισκοπὴ ἐν τοῖς ὁσίοις αὐτοῦ, et praepos. ἐν ante τοῖς ἐκλεκτοῖς, uno Paris. A. excepto. Vers. Lat. *Qui confidunt in illo, intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi: quoniam donum et pax est electis ejus.* Eadem dat Augustinus in Speculo. Hic igitur interpres non reddit illud

putes. Gravius accedit argumentum hoc, quod illud Lexicon cod. Coisl. CCCXCIV. plures continet voces, quae in exemplaribus nostris frustra quaeruntur. Omnino autem ibi exponuntur λέξεις LXXXV. ordine alphabetico et eadem, qua in contextu leguntur, forma servata. Ex his igitur locutionibus non habent in libris editis et manuscriptis sex vel septem sequentes. Ἄδρανεια, ἀσθένεια. Διέστειλεν, διέκρινεν, παρήγγειλεν. Ἐρύθημα, βαφή ἱματίου, εἴτε ἄλλου εἶδους. Θύρσων, λαμπάδων. Λειμών, ἀνθοφόρον πεδῖον ἢ γου (al. ἢ τὸ) λιβάδιον*). Λόχη (videtur legendum λόχος vel λόχησις) ἐδρα ἐν κρύμματι. Μειδιάμα, γέλως. Videamus de singulis. Primam vocem ἀδράνεια suspicari possis per errorem allatam ex cap. XIII. vers. 19. ἀδρανέστατον ταῖς χερσὶν εὐδράνεια ἀιτεῖται; sed auctor ipse infra εὐδράνεια explicat ἰσχύν praeunte Hesychio; apud quem etiam ἀδρανές, ἀσθενές. Quae alius est V. T. Graeci locus, ad quem illa λέξις pertinere possit. Tertius verbi ἰδιέστειλεν nullum prorsus est vestigium in textu, qualem nunc usurpamus. Tertium ἐρύθημα quominus referas ad cap. XIII. vers. 14. ταχρίσας μίλτω καὶ φύκει ἐρυθήνας χροῖαν αὐτοῦ, prohibet glossa proxime sequens ἐρυθήνας, φοινίξας, βάψας φύκει (vitiose scriptum φοικί). Mirum autem probabile est spectari Ies. LXIII, 1. ἐρύθημα ἱματίων, de quo L. Cyrilli Ms. Brem. ἐρύθημα, χρωῖμα αἱματώδες. Quartum θύρσων quo ex contextu petitum sit, probabili coniectura assecuti sumus. Etenim cap. XVII. vers. 1. οὔτε ἀστρῶν ἐκλαμπροὶ φλόγες καταυγάζειν ὑπέμενον τὴν στυγνὴν ἐκείνην νύκτα, c. Paris. A. pro ἀστρῶν dat πυρσῶν, cuius loco auctor Glossarii videtur legitur vocem θύρσων, quae est eiusdem significationis et facile potuit cum illa confundi. E versionibus antiquis Lat. et Arab. agnoscunt ἀστρῶν, Syriaca

additamentum καὶ ἐπισκοπὴ ἐν τοῖς ὁσίοις αὐτοῦ. Neque vero videtur in suo exemplari habuisse χάρις καὶ ἔλεος. Nam cap. IV. vers. 15. eadem ad verbum transfert: *quoniam gratia Dei et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius*. Quanquam infra vers. 14. πίστει χάριν ἐκλεκτῶν reddit *fidei donum electum*. Ut certe conjicias ipsum reperisse scriptum: Ὅτι χάρις καὶ εἰρήνη τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ. Utrum hoc est, non dubitamus, quin locus ex cap. IV. vers. 15. sit interpolatus, atque exemplum στίχον recte a Vatic. et reliquis antea nominatis abesse censemus.

*) In Thesouro Schleusneri glossa haec male scripta λειμών, ἀνθοφόρον πεδίον ἢ λιμῶν. idque vocabulum male rescriptum λιμῶν. Ceterum ibi non indicatur, quo pertinet

per alteram partem libri totam, ita hoc quoque loco a Graecis discedit, ut nullum inde repetere liceat de scriptura iudicium. Quintum *λειμών* certissimo est indicio, glossatori plenius libri nostri exemplar ad manum fuisse. Scilicet cap. II. vers. 8. vers. Lat. *Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Ibi in Graecis haec tantum priora: *Στεψόμεθα ῥόδων κάλυξι, πρινή μαρανθῆναι.* Eadem verba Latina ab Ambrosio referuntur duobus locis, quos apud Sabaterium notatos habes, ut nulla sit suspicio serioris additamenti. Antiquam vero esse illam Graeci textus lacunam testantur etiam vers. Syr. et Arab. Sextum *λόχη* fortasse vitiosum esse iudicabis, siquidem respici putes cap. XIV. vers. 24. *ἕτερος ἢ ἕτερον ἢ λοχῶν ἀναιρεῖ, ἢ νοθεύων ὀδυνᾶ,* quae vers. Lat. reddit: *sed alius alium per invidiam (Grotius reponendum censeat per insidiam) occidit, aut adulterans contristat.* Hic interpres prout verba premit, videtur legisse *λόχω*; unde liceat glossam nostram huc relatum ita rescribere: *λόχω, ἐνέδρα ἢ ἐγκρύμματι.* Similiter Hesychius *ἐνέδρα, ἐγκρύμμα.* Septimum denique vocabulum *μειδίαμα*, quod rarum est neque in Bibliis Graecis obvium, prorsus nescimus, quem in Sapia locum obtinuerit; attamen minime id alienum putamus ab auctore eiusdem, quem verba exquisita amavisse constat. His igitur textus uberioris indiciiis satis gravibus etiam potiora, quibus vers. Lat. auctior est, adiungamus, quae nemo dicet omnia glossam sapere. Cap. I. vers. 15. *Iustitia enim perpetua est et immortalis; iniustitia autem mortis est acquisitio.* Cap. II. vers. 17. *Videamus ergo, si sermones illius veri sint, et tentemus, quae ventura sunt illi, et sciemus, quae erunt novissima illius.* Cap. V. vers. 14. *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt.* Cap. VI. vers. 1. *Melior est sapientia quam vires: et vir prudens quam fortis.* Eiusd. vers. 23. *Diligite lumen sapientiae omnes, qui praeestis populo.* Cap. VIII. vers. 11. *Et acutus inveniar in iudicio, et in conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me.* Cap. IX. vers. 19. *Nam per sapientiam sana'i sunt, quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio.* Cap. XI. vers. 5. *Per quae enim poenas passi sunt inimici illorum, a defectione potus sui, et in eis, cum abundarent filii Israel, laetati sunt.* Eiusd.

vers. 9. Ostendens per sitim, quae tunc fuit, *quemadmodum tuos exares*, et adversarios illorum necares. — Qui de his locis accuratius videri edoceri, consulat Sabaterii notas. Hic sufficebat eos enotavisse, ut Sapphatae librum non tam integrum, quam putant plerique, Graece nobis servasse probarem. Contra minor esse videtur causa querendi de additis et glossematis textus Graeci, quibus geminum Siracidae opus tantopere interpolatum esse novimus. Certe quae a codicibus Pariss. ad editiones nostras abesse vidimus, pleraque librorum negligentia exciderunt. Sed tamen ex iis, quae iudicium morari possint. Itaque breviter ad editionem Grabianam sive Breitingermanam, quae textum habet *στιχηρῶς* scriptum, contentur. — Cod. B. om. II, 12. stich. 3. et 20. stich. 1. Cod. Aa. III, 12. Cod. A. V, 6. stich. 3. Cod. C. VIII, 16. stich. 3. Cod. B. X, 14. stich. 5. Cod. I. XI, 11. stich. 1. Cod. I. XII, 10. stich. 3. Cod. H. XIV, 2. stich. 2. Cod. B. XV, 5. stich. 2. Cod. H. XVI, 16. stich. 2. Cod. C. XVII, 20. stich. 1. Cod. B. XVIII, 24. stich. 2. — Difficilior est cura dialecti et orthographiae Alexandrinae restituendae, cuius plurima in libris mss. reperiuntur vestigia. Eam vero, quippe minutiis impeditam et ab angustiis huius libelli alienis, alias Sapientiae impendemus, ut spatium relinquatur locis aliquot ex coniecturis emendandis et a coniecturis virorum doctorum vindicandis. Exempli causa proponantur hi sequentes.

Cap. I. vers. 8. *Διὰ τοῦτο φθεγγόμενος ἄδικα οὐδεὶς μὴ λάθῃ, οὐδὲ μὴν ἐροδύσῃ αὐτὸν ἐλέγχουσα ἡ δίκη.* Sic cod. Vatic. Recte Alex. Compl. Al. Pariss. omnes οὐδὲ μὴ. Eadem scripturae diversitas Iob. XXVIII, 13. I. VI, 25. pro οὔτε μὴν Paris B. οὐδὲ μὴ. D. οὔτε μὴ. Praeterea Paris. Aa. eadem itemque Antiochus Mon. homil. 32. Biblioth. PP. Graeco-Lat. Tom. I. 1081. οὐδεὶς οὐ μὴ λάθῃ. — Cap. II. vers. 2. Schleusnerus in Thes. Tom. I. pag. 468. cum P. Nannio, Nobilio et Budaeo in Pandect. pro ὁ λόγος λέγει mavult ὀλίγος, quod nos in uno Paris C. invenimus. Sed hac coniectura rationis vis et elegantia imminuitur. Optime Isidorus Pelus. Epp. lib. IV. 146. Οἱ γὰρ ἀσεβεῖς σπινθήρα νομίσαντες. εἶναι τὴν ψυχὴν, οὐ ἀποσβεσθεῖσιν ὡς ἔφασαν, τέφρα ἀποβήσεται τὸ σῶμα, μόνον τεθνάναι νομίζοντες, μὴ κρίνειν

δέ. Ταῦτα γὰρ ἐν τῇ ἐπιγεγραμμένῃ Σοφ. Σολ. εἰρήκασιν, ὡς οἶσθα. Idem est iudicium de altera viri docti coniectura in Thes. Tom. I. pag. 247., qua vers. 5. loco vocis ἀναποδισμός, quae incommodum sensum ipsi fundere videtur, restitui vult ἐμποδισμός coll. vers. Arab. Scilicet non meminit ibi, nostrum auctorem poetae personam tueri, qui audaces captet orationis figuras. — Cap. II. vers. 12. extr. omnes codd. ἀμαρτήματα παιδείας ἡμῶν uno Alex. excepto, in quo παιδίας vel παιδιάς, ortum, ut videtur, ex frequentissimo pronuntian- di vitio. Etiam verss. Lat. et Arab. reddunt παιδείας, Syr. magis ἀπαιδείας e vitiosa lectione. Mireris Grabium in Prolegg. Tom. IV. cap. II. §. 3. et Schleus- nerum l. l. Tom. IV. pag. 162. illam Alex. scripturam unice veram pronuntia- re, cum aperte ἀμαρτήματα παιδείας ibi respondeant ἀμαρτήμασι νόμου. Ac si auctor peccata iuventutis voluisset intelligi, dixisset ἀμαρτήματα νεότητος. — Cap. II. vers. 23. editur ιδιότητος, quod etiam cod. Alex., quanquam Grabius in textu posuit αἰδιότητος. Ex Pariss. A. C. D. I. ιδιότητος, E. F. G. H. αἰδιότη- τος, Aa. et B. ὁμοιότητος. Verss. Syr. et Arab. primum illud, Lat. extremum reddunt. Ex patribus αἰδιότητος referunt Methodius de Resurr. pag. 295. ed. Combefis. Athanasius de Incarn. Verb. Tom. I. pag. 57. ed. Colon. Epipha- nius adv. Haer. pag. 543. et 557. ed. Petav. Colon., etiam Nicetas Comment. in Gregorii Naz. Homil. XLII. Contra Clemens Alex. Strom. lib. VI. pag. 788. ιδιότητος. Idem M. Cantacuzenus in Schol. teste Cornelio a Lapide. Recen- tiorum sententiae differunt. Plerique tamen volunt propter Genes. I, 27. prae- ferri ιδιότητος. Nobis hac ipsa de causa et ista et altera scriptura ὁμοιότητος suspecta videtur, et ex contextus ratione praeplacet αἰδιότητος. — Cap. IV. vers. 10. omnes libri ἠγαπήθη, quod Hasseius temere mutatum volebat ἠεπάγη vel ἠγαγήθη. Ibid. vers. 16. θανών, quod pro καμών in edit. Francof. legatur, Schleusnero l. l. Tom. III. pag. 175. glossema videtur. Sed exhibent illud Alex. Compl. Ald. Pariss. A. C. D. E. H. I. Unus B. θανάτω. G. vocem om. Nullus igitur cum Vatic. consentit. Et θανών nescio an comprobetur ex ap- posito τοὺς ζῶντας et sequente sticho, ut καμών potius glossema habeatur ine- ptientis librarii, qui non intellexerit, quo sensu iustus mortuus dicatur con- demnare vivos impios. — Cap. V. vers. 7. Ἀνομίας ἐνεπλήσθημεν τριβόις, Bretschneiderus ad Sirac. II, 16. coni. ἐνεπλήχθημεν, et anonymus in ephe-

merid. litter. univers. a. 1806. no. 37. ἐνεπλάχθημεν (ἐνεπλάγχθημεν?) app
 bante Rhodio et Engelbrethio Specim. II. pag. 92. Vulgatam tuetur Ma
 mus Conf. epp. pag. 214. ed. Combef. Ephraem Syr. ἐπλήσθημεν pag. 1
 ed. Oxon. Neque opus coniectura. — Ibid. vers. 12. pro ἀνελύθη Gro
 ἀνελήλυθεν, et Schleusner. I. I. Tom. I. pag. 236. praeunte Cornelio a Lap
 ἀνεκλείθη, quod quantum scio inusitatum est. Paris. A. διεχύθη. Sed b
 dicitur aër, qui sagitta divisus condensatur, postea solvi, et in se quasi
 lutus redire. — Ibid. vers. 15. καὶ ὡς πάχνη ὑπὸ λαίλαπος διωχθεῖσα λε
 Insolentia huius imaginis offendit viros doctos. Kreyssigius in Symb. P.
 pag. 14. reponi vult ex Syro ἄχνη. Idem Bretschneiderus in Programm. I.
 libro Sap. pag. 34. Confirmatur haec coniectura Pariss. F. et G. Aliter,
 que male Paris. B. ἀράχνη. Conf. Schleusneri Thes. s. h. v. Paris. A. σ
 θήρ. Ephraem Syr. ὀμίχλη. — Cap. VII. vers. 92. Φωτὶ συγκρηνομένη εὐρη
 ται προτέρα. Paris. B. λαμπροτέρα, quod vulgato elegantius esse nemo n
 bit. — Cap. XII. vers. 20. verba καὶ δεήσεως, quae male exercuerunt in
 pretes, absunt ab Alex. Compl. Pariss. A. B. E. F. G. I. Veram scriptur
 καὶ δίσωσας servarunt Pariss. C. D. H. Unde in optimis Vers. Lat. co
 Sangerm., S. Theod. et Corbei. duobus inseruntur verba *et liberasti*. H
 bigantius olim scriptum fuisse putabat καὶ διοικήσεως. — Cap. XIX. vers
 πῶς ἀντὶ μὲν γενέσεως ζώων Paris. A. χερσαίων pro γενέσεως, quod sequ
 bus verbis ἀντὶ δὲ ἐνύδρων satis commendatur.

Sed haec sufficiant. Accipe, Vir Venerande, specimen istud,
 pauciora, quam propositum erat, licuit exhibere, tanquam praenunt
 criticae libri Sapientiae editionis, quam nomini Tuo sic volumus inscrip
 Vale, nobisque favere perge.



1
17
17
17
17

